Ann. VI. | Num. XVI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*

Cuncta mittantur ad Aristidem Leonori *equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA		IN ANGLIA	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTR.	IN GERMANIA	IN CANADA
Apud Gebethner et Wolf	Apud "Kronika Rodzinna"	Apud Burns and Oates	Apud Fridericum Pustet S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.	Apud Fridericum Pustet S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.	Apud Librairie Granger Frères
VARSAVIAE POLONORUM Rakowskie Przedmiescie, 15.	VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 6	LONDON W. 28, Orchard Street.	NEW YORK 52, Barclay Street. CINCINNATI 436, Main Street.	RATISBONAE in BAVARIA	MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Habemus Pontificem! . . . . . *VOX URBIS.*
Iosephus Cardinalis Sarto Catholicae Ecclesiae Pontifex renuntiatus . . . . . I. F.
Pius PP. X *Voci Urbis* benedicit . . . . . A. Leonori.
De Summi Pontificis electione . . . . . Senior.
De Conclavi historia et Pontificum constitutiones . . . . . Forfex.
Ante Conclave . . . . . Alpha.
De Conclavis ritu usque ad Summi Pontificis electionem (Ex *Caeremoniali* Gregorii Pp. XV): De Missa Spiritus Sancti in basilica S. Petri. — De ingressu Conclavis. — De hora claudendi Conclave. — De colloquiis, litteris, cibis et vestibus. — De capitulis ante electionem, et de voce activa Cardinalium. — Quomodo praecavendae nullitates electionis ab executoribus constitutionis Gregorianae. — De formis electionis. — De inspiratione. — De compromisso. — De scrutinio simplici, vel cum accessu. — De antescrutinio. — De forma schedularum scrutinii. — De forma schedularum accessus. — De Scrutatoribus et Infirmariis. — Quomodo in schedula scribatur nomen eligentis, et electi. — De complicatione schedulae. — De obsignatione schedulae. — De scrutinio et eius actibus. — De delatione schedulae in calicem, et iuramento. — De impedimentis ob valetudinem. — De infirmis. — De mixtione schedularum. — De numeratione schedularum. — De publicatione scrutinii. — De schedularum in filo insertione. — De postscrutinio et eius actibus. — Differentia schedularum accessus et scrutinii. — De inspectione, aperitione et collatione, seu adnotatione schedularum. — Monitio ad Scrutatores. — De numeratione suffragiorum. — De recognitione et Recognitorum extractione. — De combustione schedularum.
Post Conclave. . . . . . H. P.
Annales . . . . . Propoplicola.

ROMAE

EX OFFICINA *PACIS*, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIII

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 ½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARII "VOX URBIS" POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,

ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui pretium uti supra miserit infra Ianuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

eliget insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italiam ubique ad Libell. 7,50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1 ½; Rubl. 3; Flor. 3 ½; Coron. 7 ½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diribitorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis pretium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (*c*) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi *gratis* Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS: In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam: Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.


BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR: ARISTIDES LEONORI, eques. ROMAE - Via Alessandrina, 87.

HABEMUS PONTIFICEM!

Quod erat maxime in votis, et quod ad pacandum trepidos christicolarum animos maxime pertinebat, id non humano consilio, sed prope divinitus datum summo catholici orbis tempore videtur. Quamvis enim inexstinguibilis illa sit fax, quam in medio humani generis providentissimus Deus ad salutem gentium omnium erexit, et inextinguibilis sit illa virtus, quam neque idololatrorum atrocitas, neque haereticorum calliditas, neque schismaticorum praepotentia toties, irrito conamine, invasit, sanguinolento mucrone petivit, violentia labefactare conata frustra est; attamen haud medioeris causa sollicitudinis videbatur adesse, quum, suo grex viduatus Pastore, et quodammodo capitis deminuta Ecclesia appareret. Erat enim obscuritas magna quaedam, et certamen fervere inter clarissimos christiani populi duces ferebatur, quasi Apostolicae dignitatis fastigia pondus immane non essent, cui, nisi praesens ope Numen adstaret, impares ferendo, etsi robustissimi, virorum humeri viderentur. Adde nescio quid grave, impendens ex minitante societate hominum, queis unum est reipublicae, auctoritatis, religionis ima convellere, qui tamen probe noscunt nihil adversus posse, si, obiex insuperabilis, Romanus Pontifex habeatur. Adde nuper ad superna praemia elati Pontificis tanta esse merita, tot esse virtutes, ut, qui post eum accesserit, vix et aegerrime parem sese illi gerere possit, incassum, etsi ope summa nitatur, aequare.

At quid impossibile affianti Spiritui? Non enim homo posuit, sed « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (1). Quae omnia ipse Leo, quem lamentamur a terra hac et a gubernaculo mysticae navis abeuntem, perspiciens, ita praesaga mente scribebat:



PIUS PP. X.

Occidit, – inclamant –, solio deiectus, in ipso
Carcere, in aerumnis occidit, ecce, Leo.
Spes insana!, Leo alter adest, qui sacra volentes
Iura dat in populos, imperiumque tenet.

(1) *Act. Apost.*, c. XX, 28.

Petrus abit, igitur, Petrus redit, Petrus aeternus. Leo abit, Leo redit; immo neque Leo, neque Petrus, sed idem semper Christus et Spiritus. Nihil interest quo vocetur nomine apud mortales; potentia, qua regitur, qua ducitur, qua de fide loquitur, semper eadem est, nec mutatione temporum immutatur, nec successione saeculorum imminuitur, nec aetatum processu quassatur. Adde testem historiam, qua monemur Pontifices temporibus opportunos, idoneos, pares suis iugiter suscitatos fuisse, prementibus necessitatibus, periculis, in quibus versarentur, non minores. Hinc doctos emersisse ubi doctrina opus esset, fortissimos ubi praeliandum ad mortem usque foret, prudentissimos ubi per casus varios et aestuantes procellas cursus dirigendus esset apostolicae navis, piissimos et sanctissimos ubi fluxi mores ruerent in pessum. Itaque verba haec: Habemus Pontificem! idem sonant ac si diceretur: « Habemus a caelo datum ducem, quo conquiescamus tranquilli, quo tuti in meliora proficiscamur! »

Militantis Ecclesiae est semper esse in speculis, semper esse in vigiliis, ne dolosa pace obruatur ab hostibus; militantis Ecclesiae est semper in armis esse et in acie instructa, ut undique retundat impetus invadentium errorum; militantis Ecclesiae est semper ad pugnas procedere, pro Christo, obeundas, usque ad profundendum cum vita sanguinem. Hinc si victoria arrideat, brevis pausa; si triumphus canendus, brevis laetitia; quies autem et desidia numquam sempiterna conceditur.

Sociis et lectoribus Commentarii nostri vehementer commendamus instrumentum, quod, rei proprietate sibi vindicata, confecit

SOCIETAS LATIALIS EDITRIX

(ROMAE, **Corso Umberto I, 219**),

cui machinae nomen est:

SCRIPTOR AUTOMATICUS

(ITALICE "COPISTA AUTOMATICO"),

quippe inter horas tres quodvis scriptum, qualibet in charta, millies reddat: epistolas, litteras eodem exemplo ad plures dimittendas, consultationes, edicta, invitationes, nuncia, acceptorum et datorum rationes, libellos, lineas vel figuras descriptas, exemplaria, formas, musicen, et alia.

Societas ipsa fidem praestat *Scriptorem* hunc *Automaticum* tribus horis ex uno chirographo mille et ultra exempla exhibere, eaque omnia pariter nitida atque perfecta: — quinque temporis momenta satis esse ad eius usum discendum; — chirographumque celeriter scribendo, non secus ac communi quovis calamo, parari.

Instrumentum, utili spatio disponens cent. 23 × 34 novum et ex omni parte perfectum **venit libell. 45**; atramenti ampulla (per aliquot menses sufficiens) libell. 4; folia singula ad chirographum **scribendum** libell. 0,15.

Pretium solvi potest cum traditur merx; portatio vero fit ad impendium iubentis.

Una cum *Automatico Scriptore* paucae eaeque simplices institutiones ad rite ipso utendum necessariae mittuntur.

GRATUITO

quisque habebit et experimentorum specimina et opusculum continens plus sexcenta de re iudicia.

Omnia petantur a

SOCIETATE LATIALI EDITRICE

(Romae, *Corso Umberto I, 219*).

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae «Congregationes» aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

ceteroquin dignum, e Romano clero. Si in hoc talis non esset, e quavis civitate et loco catholici orbis eligeretur. Hoc effato et universalitas Romanae Ecclesiae, cuius in presbyterio ex omnibus gentibus viri semper fuerunt, comprobatur, et antiqua restauratur traditio, qua ab Apostolica aetate ad Constantini tempora Graeci, Afri, Assyrii non minus quam Europaei, Itali, Romani electi Pontifices, nulla quarumlibet gentium acceptatione, vel exclusione, sunt.

Cardinales vero non semper eodem in numero fuerunt. Basileense Concilium XXIV esse voluit; Xystus IV plures esse maluit; Xystus V septuaginta futuros decrevit, ut pares numero essent senioribus, quos Moses, Deo iubente, sibi auxiliares in regendo Israel adscivit. Sex autem Cardinales-Episcopi suburbicariorum olim episcoporum vice funguntur, quibus metropolitanus est Pontifex Romanus episcopus: quinquaginta Cardinales Presbyteri locum tenent parochorum Urbis, Ecclesias titulares huiusmodi habent, clerumque Romanum quodammodo gerunt; quatuordecim Diaconi Cardinales, proximiores piis saecularibus, eos praeferunt, quorum olim erat res Ecclesiae administrare, sicuti de Beato Laurentio legimus, pauperibus distribuere eleemosynas, viduas, orfanos, pauperes, infirmos alere, sustentare, consolari miseros et oppressos, omnibus omnia praebere Christianae charitatis officia.

Magni fuit opera Gregorii VII, qui docens quanti esset electio Pontificis, libertatem Ecclesiae asseruit, dignitatem voluit verendam, innocentiam praeferendam, et cum ea prudentiam, sapientiam, gravitatem; contra venalitatem, simoniam, factiones, fraudes aeternum removi voluit: episcopum universalis Ecclesiae Cardinales eligerent ex civitatibus omnibus orbis terrarum; episcopus Romae fieret, quem clerus in Cardinalibus Presbyteris optasset, populus in Diaconis Cardinalibus indicasset.

SENIOR.

DE CONCLAVI

HISTORIA ET PONTIFICUM CONSTITUTIONES.

« CONCLAVE - scribit Macrus - (1) est clausura Cardinalium sede vacante ad eligendum novum Pontificem. Primum huiusmodi conclave Viterbii post Clementis IV mortem coactum fuit. Purpurati enim antea in aliqua ecclesia, seu sacristia ad effectum, de quo diximus, congregabantur, et post discussionem ad proprias domus redibant; sed occasione longissimae Sedis vacantis, post obitum praefati Clementis, quam per biennium novem menses et biduum durasse refert Raynaldus (an. 1271, n. 13), transactis decem et septem mensibus, S. Bonaventura, tunc sui ordinis Generalis, cives Viterbienses persuaserat, ut in episcopali palatio Sacrum Collegium XVII, seu, ut alii referunt, XVIII Cardinalium includerent, et ad electionem Pontificis illos cogerent; at persistente nihilominus eorum irresolutione, licet diu mansissent detenti, tunc Raynerius Gattus, eiusdem civitatis Capitaneus et Conclavis Custos tectum eiusdem aulae, in qua erant inclusi, detegit, ut hac subdiali mansione eos ad determinationem cogeret, ubi usque ad praesens cellularum signa cernuntur.... Factum [tamen] quod de S. Bonaventura narratur in eius vita non habetur, atque [Raynaldus] ex quo loco et apud quem auctorem reperiatur non citat; ideo ad credendum non facile inclino. Imo non verificatur quod in Conclavi post mortem Clementis IV Cardinales ab ullo coacti fuissent sub eo ergastulo includi, sed sponte sese concluderant ad regum persuasiones, ut Blondus, decad. 2, lib. 8 testatur, de regibus tunc Viterbium accedentibus, inquiens: Viterbium venere, ubi Cardinales se noverant in Pontificis electione facienda, sicut et antea diffidentes. Evicitque regum exhortatio, atque instantia, ut ingressi Conclave, patres in Theobaldum convenerint Placentinum Leodiensem Archidiaconum, in Asia tunc agentem - (qui postea Gregorius X appellatus fuit) - ....

Nec est verum quod illud fuerat primum Cardinalium Conclave; nam ante hoc fuerunt in aliis electionibus conclusi electores, ut testatur Glossator *Decretalium* in can. licet *De vitanda elect. § Nullatenus*, ubi ait quod, discordantibus Cardinalibus, inclusi fuerunt in electione Honorii III, Gregorii IX, Caelestini, subditque: Et temporibus nostris Innocentius III (*lege* IV); tamen id de iure faciendum non est. Et idem Blondus de Conclavi Neapoli acto, Innocentio IV ibi defuncto, in electione Alexandri IV de a. 1254 haec refert: Alexandrum Pontificem eo nomine IV ex Rainaldo Cardinali Ostiensi natione Campano, Cardinales, qui omnes Innocentium in expeditionem sequuti erant, in urbe Neapolitana brevi creaverunt; nam Conclave ea fuerunt ingressi conditione, ut omni postposita longiore debito mora, rebus Ecclesiae a Manfredi violentia, insidiisque alioquin periclitaturis per novi Pontificis creationem providerent; et eos Bartolinius invit Tavernarius, eques Parmensis, quem Innocentius Pontifex sororium suum Neapoli Praetorem, Praefectumque praesidio imposuerat. Is enim vir prudens honesta ac consueta vi adhibita, illos cibo per singulos dies imminuto, ut in aliquem concordarent, impulit potius quam hortatus est (lib. 7 decad. 2) -. Ubi etiam per verba *consueta vi* id quod supra Glossator de aliis anterioribus Conclavibus narrat, Blondus insinuare videtur. Atque Passarinus (*De elect. Sum. Pont.*, quaest. 11, n. 1) Conclave anno 1118 in electione Gelasii II coepisse tenet; nam secundum Baronium an. 1118 in Pontificem electus fuerat. De Honorio III, cuius electio ex Raynaldo accidit an. 1216, etiam Blondus, eod. lib. 7 in princip. decad. 2 ait, quod coacto in Conclavi Collegio, penuria cibi per dies singulos maiore facta, ut properarent vim honestissimam attulerunt, consecratusque Pontifex, etc. - Igitur multo ante Sedis vacationem per obitum Clem. IV, Conclave erat in usu. In electione autem Innocentii IV fuerunt Cardinales Amalphi a Friderico in carceribus detenti; sed in libertate positi, Anagniam confugere, ibique praedictum Innocentium in Pontificem elegerunt ».

Quidquid fuerit de Conclavi origine, id certum est, Gregorium Pp. X primum in Lugdunensi Concilio habito anno MCCLXXII constitutione *Ubi periculum* Conclavis usum posuisse, et post ipsum ad nostra usque tempora has de re constitutiones esse prolatas (1):

I). Const. Clementis V *Ne Romanis* ed. in Concilio Viennensi an. MCCCX, qua declaratur Constitutio Gregorii X, et nonnulla de potestate coetus Cardinalium, sede vacante, adiiciuntur.

II). Const. seu « Bulla » Clementis VI *Licet in constitutione*, ed. an. MCCCLI, qua multa circa Conclavis usum, locum, servos Cardinalium, cibos, et alia eodem pertinentia, declarantur.

III). Const. seu « Bulla » Iulii II *Cum tam Divino*, ed. an. MDIII contra simoniace electos, ac simoniace eligentes.

IV). Const. seu « Bulla » Pauli IV *Cum secundum Apostolum* ed. an. MDLVIII « contra tractantes de electione Romani Pontificis, Papa vivente, eoque inconsulto ».

V). Const. seu « Bulla » Pii IV *In eligendis* ed. an. MDLXII, in qua « de exequiis defuncti Pontificis, de potestate Sac. Collegii Cardinalium, et Officialium Romanae Curiae sede vacante » agitur.

VI). Const. seu « Bulla » Gregorii XV *Aeterni Patris*, ed. an. MDCXXI, in qua tres tantum formae electionis Romani Pontificis approbantur, et « scrutinium » per secreta schedularum suffragia fieri praecipitur.

VII). Const. eiusdem Gregorii Papae *Decet Romanum Pontificem*, ed. an. MDCXXII qua Conclavis « Caeremoniale » definitur.

VIII). Const. seu « Bulla » Urbani VIII *Ad Romani Pontificis*, ed. an. MDCXXV confirmans Graegorii XV acta supra memorata.

IX). Const. seu « Bulla » Alexandri VII *Inter ceteras* ed. an. MDCLX, de bonis Ecclesiae non alienandis.

X). Lit. in forma « Brevis » Alexandri VIII ad Cardin. Camerarium de Alteriis scriptas an. MDCXC, quibus reducuntur impensae fieri solitae Sede vacante atque Conclavis caussa.

XI). Const. seu « Bulla » Innocentii XII *Romanum decet Pontificem* ed. an. MDCXCII « moderatoria donationum et distributionis redituum ecclesiasticorum in consanguineos vel affines Romani Pontificis, etc. ».

XII). Const. Clementis XII *Apostolatus Officium* ed. an. MDCCXXXII nonnulla continens praecepta « pro bona directione Conclavis ac rerum Sede Apostolica vacante agendarum ».

XIII). Chirographum eiusdem Pontificis italice scriptum an. MDCCXXXII nova praecepta et emendationes de re ingerens.

Sequuntur aliqua decreta et constitutiones a Pontificibus emissa pro re nata, ac praecipue ob rerum publicarum vicissitudines. Itaque habentur:

a). Decretum in forma « Brevis » Pii VI *Attentis peculiaribus* ed. an. MDCCXCVII.

(1) *Hierolexicon sive Sacrum Dictionarium*, auctoribus DOMINICO MACRO MELITENSI et CAROLO EIUS FRATRE. — Romae, ex off. Bernardoniana sub signo Virtutis, an. 1677, voc. CONCLAVE. — *Conclave* est pars aedium, cubiculum, membrum, quod clave claudi potest.... *Conclave*, locus clausus, vel munitus, vel domus, quae multis concluditur cellis.... Satis apparet *conclave* dici quamcumque aedium partem, dummodo claudi clave possit. (FORCELLINI, *Totius Latinitatis lexicon*, voc. CONCLAVE).

(1) Ante Gregorium X tres tantum *Constitutiones* memorantur de eligendo Summo Pontifice: I. Symmachi Papae (an. CDXCIX) *Si quis* " contra tractantes de electione Romani Pontificis Papa superstite, eoque inconsulto ": II. Nicolai II (an MLIX *In nomine Domini*, de iis ad quos electio Romani Pontificis pertinet; III. Alexandri III (an. MCLXXX) qua a duabus partibus Cardinalium Romanum Pontificem eligi debere statuitur.

Illud igitur: **Habemus Pontificem!**, dum ad recordationem revocat, quae mortalium bono tot patravere Pontifices, spem erigit ac tuetur circa ea, quae sunt absolvenda; nam semper dum Pontifex fuit, numquam vacua Sede, catholicae victoriae celebratae sunt, novaeque provinciae, novaque regna fuerunt in Christi potestatem redacta. Neque idem optimus Leo XIII aliter, quasi testamentario carmine, pronuntiabat:

Auspicium felix! Orientis personat oras
Vox missa e caelo, personat occiduas:
Una fides Christi, Pastor regat unus ovile;
Dispersas gentes colliget unus amor!.

Et iure; si enim, ipso desuper coruscante, lumen quoddam in caelo Ecclesiae videbatur accensum, ita ut de ipso dici posset illud Prophetae: « Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui » (1), quem nunc habemus Pontificem charitatis illius ardentissimae assertorem accipimus, quae suis flagrare ignibus omnes optabat homines, professa se venisse ut hunc mitteret ignem, nec aliud cupere, nisi fausto hoc igne terra arderetur (2).

Obortae in terra charitatis flammae lumen praedecessoris pulchre complebunt!

VOX URBIS.

IOSEPHUS CARDINALIS SARTO
CATHOLICAE ECCLESIAE PONTIFEX RENUNTIATUS.

IOSEPHUS SARTO, qui, Pontifex Summus renuntiatus, sibi nomen imposuit Pium X, humili genere natus est Riese, in oppido Tarvisino, die II mensis Iunii an. MDCCCXXXV. Iuvenis admodum litterarum sacraeque disciplinae curriculum explevit Tarvisii, ac deinde Patavii, ubi sacerdotium consecutus est die XVIII mensis Septembr. a. MDCCCLVIII. Usque ad a. MDCCCLXXV paroecias in Veneta regione moderatus est; tum, cancellarius episcopalis electus, Tarvisium rediit. Ibi, in seminario, pietatis etiam magisterium gessit, exercuit prosynodalem censuram, quibus postea additum est ecclesiastici tribunalis iudicium, atque, sede vacante, Vicarii capitularis munus, quibus omnium cum laude est perfunctus.

Anno MDCCCLXXXIV Leo Pp. XIII eum Mantuanum episcopum creavit, novemque post annos – die XII mens. Iunii an. MDCCCXCIII – sacra purpura auxit, ad Venetum patriarchatum extulit, atque ad Congregationes Episcoporum et Regularium, Sacrorum Rituum, Indulgentiarum ac Sacrarum Reliquiarum, Studiorumque addixit.

Rerum sacrarum studiosissimus Iosephus Sarto Mantuanam Venetamque Ecclesiam gubernans multa emendavit, multa ad pietatem fovendam invexit; inter quae memorare iuvat Gregoriani cantus restitutionem, quam omni vi est prosecutus. Ei immo debetur musices illud astrum splendidissimum, Laurentius Perosi, quem adolescentem cognovit, paterna cura adamavit, coluit, denique stupentibus populis revelavit.

I. F.

(1) ISAIAE, c. LXXX, 3.
(2) LUCAE, c. XII, 49.

PIUS PP. X *VOCI URBIS* BENEDICIT.

Sociis et lectoribus laetum do nuntium. Die post electionem primo SS. D. N. Pius PP. X me benignissime excipiens, et humanissima de **Voce Urbis** *locutus, singularem benedictionem et mihi, et singulis, qui societate nostra utuntur, impertiri dignatus est.*

Quod felix, bonum faustumque siet!

ARISTIDES LEONORI.

DE SUMMI PONTIFICIS ELECTIONE.

QUO ritu primi Pontifices electi fuerint ferme ignoramus; a Petro Apostolo autem Linus, Cletus, Clemens vivae vocis oraculo traduntur electi, quod eos summo in tempore iuxta successionis ordinem nuncupasset iam inde sibi cooperatores adscitos, ne saeviente Neroniano turbine viduatus pastore grex dissiparetur. Verum tertii post Christum saeculi circa dimidium, ingens documentum nobis a S. Cipriano est, qui fatetur Episcopum eligi ritu institutionis divinae, cui Apostoli morem gesserunt, posterique servarunt; ideoque sacri episcopatus ordine ubi quis foret augendus, proximi episcopi, et qui eiusdem provinciae essent (adverte tunc temporis nomine « provinciae » obvenire, quae nunc regna praedicantur) congregabantur, et coram populo approbante, cui mores et vita futuri episcopi explorati erant, eligebatur. Ita narrat ipse Cornelium Pontificem constitutum, sexdecim episcopis praesentibus, clero et populo coram suffragia dantibus, eademque probante presbyterorum – id est seniorum sacerdotum – collegio, et operam conferentibus quotquot scientia virtutibusque viri eminerent. Vota igitur populi et cleri veluti necessaria propositioni et electioni erant, subiecto nihilominus metropolitano et episcopis, electum consecraturis, indicio.

Haec XI ad usque saeculum servata sunt, ideoque, Pontificis obitu nuntiato, proximi Romae episcopi in Lateranensem basilicam venientes, populum congregatum de novo Papa eligendo rogabant, et vel proponebant. Plerumque archidiaconus Romanae Ecclesiae assumebatur in munus, quia rerum omnium iam prudens et particeps. Qui semel electus, semper eligenti gregi nexus vinctusque aestimabatur, sive episcopus, sive sacerdos fuisset; neque fas erat a desponsata mystica uxore Ecclesia recedere, alias quasi nuptias iniret. Octo haec primum saeculis perstiterunt.

Symmachus, V exeunte saeculo – an. CCCCXCIX –, coacto Concilio Romano in Vaticana basilica, duobus et septuaginta praesentibus episcopis, plurimisque minorum gregum pastoribus (« parochis »), decreto cavit ne tumultus, interventu populi, conspirationesque faciente multitudine cierentur, excitarentur. Decretum hoc primo constitutionibus Apostolicis insertum est; praecipuusque canon prohibet quominus, Papa superstite, de futuro eligendo agatur, poenisque sancit; tum canon alius iubebat, quoties Pontifex inopina morte sublatus successorem suum indicatum non reliquisset (prouti a S. Petro factum vidimus), ille ad Pontificatus apicem eveheretur vir, in quem aut omnia cleri suffragia, aut maior saltem suffragiorum pars, consensissent. Prudentissime Symmachus caverat; nihilo tamen secius electiones Pontificum turbulentissimis saepe tumultibus seditionibusque, ad effusionem usque humani sanguinis, foedatae sunt. Quasi parum hoc esset, libido dominationis in Ecclesiam reges barbaros invasit, seque haeredes gestoresque populorum, quos oppresserant, dictitantes, praedicantes, sub tributo eligendum posuerunt, qui, nisi tria prius aureorum millia fisco persolvisset, neque Pontifex confirmaretur, neque potestate ulla frueretur. Brevis hinc ad « antipapas » et « schismata » via.

Paullo ante quam in Carolo Magno iterum occidentale romanum restitueretur Imperium, Pontifices tyrannidem Orientalium Augustorum reiecerant. Qui post Carolum fuerunt Augusti, ius libertatemque electionis Pontificum Ecclesiae reddiderunt, tributa illa iniqua, iniuriamque saevissimam amandarunt, iure « advocatiae » ad honorem contenti; sed ubi ad Germanicos ventum est, Othone primum audente, omnia in pessimum oppressionis ac tyrannidis redierunt; omnibus enim artibus, insidiis, violentiis in electionem liberam Pontificis, X et XI saeculo. impia multa, sacrilega, nefanda patrarunt, divina omnia humanaque per nefas omne miscuerunt. Actum ferme de Apostolica Sede esset, nisi Hildebrandus monachus, qui et VII Gregorius est, exsul Salerni moriens martyrio suo libertatem Ecclesiae vindicasset. Quum enim Germanici Caesares ius eligendi Pontificem invasissent, et populus Romanus Henricum III Augustum rogasset, ut in demortui nuper Pontificis alium subderet, ille Brunonem, episcopum Tullensem, elegit. Qui, in Italiam venire contendens, in Cluniacensi asceterio moratus in Hildebrandum incidit, a quo iniquae electionis didicit scelus. Romam igitur quasi peregrinus una cum Hildebrando veniens, magno tamen cum honore susceptus, publice aperit se Pontificatum inire nolle, canonice non electum. Faciente Hildebrando, canonice electus est a clero et populo Romano, Ordinem Sacramentalem conferentibus suburbicariis episcopis, et Leo IX, inter caelicolas postea adnumeratus, vocatus est. Tunc, Hildebrando eodem curante, decretum est, nullum Augustis Germanicis ius esse circa electionem Pontificis, quem designare populus, nominare clerus Urbis unice posset. Quatuor hoc ritu subsequentes Pontifices electi fuere. quos inter et ipse Hildebrandus.

Nicolaus II, die X Aprilis mensis an. MLIX, celebri illa « bulla », quae incipit: « In Nomine Dñi » decreverat electionem Pontificis apud Cardinales Episcopos tantummodo esse, ceteris Cardinalibus adhaerentibus, clero minori et populo consentientibus. Id ut aliquid traditioni indulgeret. Quo factum est ut « Praeduces essent » Cardinales Episcopi suburbicarii « in promovenda Pontificis electione; reliqui autem sequaces ». Iussit idem Nicolaus, Hildebrando pariter afflante, posse Cardinales Episcopos suburbicarios, si motu aliquo civilium temporum Romae non potuissent, ubique eligere, exiguo quamvis numero; clerici homines que Romani sequerentur praesentes et socii. Iterum praecipit praeponendum cuivis extero Pontificem,

secunda circa secundam, et tertia circa tertiam, exclusis omnibus qui in Conclavi remanere non debent, intus, et extra claudatur, et claves S. R. E. Camerario ac Magistro Caeremoniarum, et Praelatis custodibus Conclavis iuxta solitum assignentur.

Deinde accensis funalibus, tres Cardinales Capita Ordinum, et Camerarius, una cum Magistro Caeremoniarum latebras, et angulos omnes Conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possunt Familiares Cardinalium, et alii officiales, et ministri Conclavis, qui in constitutione Pii IV recensentur, quibus adduntur duo alii, unus Famulus pro Magistris Caeremoniarum, et alius pro Secretario Sacri Collegii; hac tamen conditione adiecta, ut Famulus Magistrorum Caeremoniarum, actu uni ex illis inserviat, et per sex menses ante, fuerit eius continuus commensalis, quae conditio in Famulo Secretarii similiter exigitur; omnium autem istorum Conclavistarum, post prandium diei sequentis, fit recognitio, ne quis inter illos forte esset ex iis, qui in Conclavi esse non possunt; quae recognitio ut certius fiat, iubentur Conclavistae omnes intrare cappellam, et postea singillatim recensentur.

De colloquiis, litteris, cibis et vestibus. — Clauso Conclavi, servari debent omnia, quae de colloquiis, litteris et cibis, et quae de non ingredientibus Cardinalibus, aut iisdem, aut eorum Familiaribus postquam ingressi sunt exeuntibus, in constitutione Pii IV sancita sunt. Quod vero attinet ad vestes, non solum cum ad electionem Cardinales procedunt, croceis uti debent, sed iuxta vetus caeremoniale, cum aliquid collegialiter agendum est.

De capitulis ante electionem, et de voce activa Cardinalium. — Porro capitula, quae ante electionem fieri solent a singulis Cardinalibus subscribenda, etiam ad favorem Conclavistarum fieri poterunt, vel ante ingressum Conclavis, vel post ingressum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingressus, vel electio. Quoniam autem iuxta constitutionem Pii IV Cardinales, qui saltem in ordine Diaconatus constituti non sunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inspiciendum erit antequam ad electionis negocium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus praesentibus ordine praedicto careant; nam si careant, a suffragio ferendo excludendi erunt, nisi privilegio Pontificio muniti sint (1). De Cardinali autem, cui ante mortem Pontificis os fuit clausum, aliquando dubitatum est; verum a Pio V fuit haec dubitatio sopita per eius decretum editum d. 26 Ianuarii 1571, quo declaravit huiusmodi oris clausuram, caeremoniam quandam esse, ea de causa introductam, ut Cardinales, antequam in Consistoriis, et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his, et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur; quae declaratio Pii V semper hucusque observata fuit.

(1) In hodierno Conclavi Cardinales omnes Sacerdotali saltem Ordine decorati erant.

Quomodo praecavendae nullitates electionis ab executoribus constitutionis Gregorianae. — Quoniam autem ex Gregoriana constitutione, ad actum electionis sub poena nullitatis devenire non possunt Patres, nisi clauso Conclavi, tres Cardinales, et Camerarius eiusdem Constitutionis executores deputati providebunt, ut, statim post clausum Conclave, diligens per aliquos fiat inquisitio super ipsa clausura, eaque in effectu reperta, curabunt, ut de ea publicum fiat documentum per Magistrum Caeremoniarum rogandum, et post huiusmodi documentum, etiam si Conclave in totum, vel pro parte de facto apertum fuisse reperiatur, semper tamen clausum et pro clauso censeri, et haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de consensu duarum partium Cardinalium praesentium, per secreta suffragia apertum esse declaretur. Haec tamen declaratio electionis, quae ante ipsum facta fuerit, nullatenus praeiudicare debet, neque ob ipsam declarationem praecedens electio impugnari potest.

De formis electionis. — Mane sequenti, post clausum praecedenti nocte Conclave, post solitum campanulae sonum, conveniunt Cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, ad cappellam Paulinam, et ibi celebrata consueta Missa, et facta Cardinalium communione, statim ad negocium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Gregoriana constitutione, uno tantum ex tribus modis, sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

De inspiratione. — Primus modus est, qui quasi per inspirationem vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter, et viva voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum ex constitutione Gregoriana, infrascripta notari possunt:

Primum, haec forma electionis practicari potest solum in Conclavi, et eo clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum *eligo* intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius, potest esse huiusmodi: Si aliquis Patrum, clauso Conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: « Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute, et probitate Reverendissimi D. N. indicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem et ex nunc ego ipsum eligo in Papam ». Deinde hoc audito, si ceteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam eodem verbo *eligo* intelligibili voce prolato, aut, si non potest, in scriptis expresso, eundem N. de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus, et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur per inspirationem, seu, ut in sacris Canonibus scriptum est, quasi per inspirationem.

De compromisso. — Secundus modus est per compromissum, quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam, seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut, vice omnium, Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore, cuius formae praxis potest esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: « In nomine Domini Amen. Anno ab eiusdem etc. mense etc. die etc. Nos Episcopi, Presbyteri, et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes, et singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. – (et singillatim omnes nominentur Cardinales) – elegimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter, et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N., et N. Cardinales, etc. quibus damus plenariam facultatem, et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet... ». – Hic optimum erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum, et formam, secundum quam Compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus, et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres Compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam, vel nominandas ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, et alia his similia. – His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromisso solet tempus, ad quod usque volunt Cardinales potestatem Compromissarios habere eligendi; et postea subiunguntur haec verba: « Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. Compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum, vel alia ad formam Compromissariis praescriptam accomodata ».

Secundo, completo huiusmodi mandato, Compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, et de electione facienda tractant, et solet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio videtur necessaria inter Compromissarios, ut verbis humanis, et reverentialibus inter se, sine praeiudicio uti possint.

Tertio, facta per Compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et servatis iis, quae Gregorius XV in sua constitutione iussit, electus per huiusmodi viam compromissi est canonicus, et verus Papa.

b). Const. seu « Bulla » eiusdem Pontificis *Christi Ecclesiae regendae* ed. exeunte an. MDCCXCVII.

c). Const. seu « Bulla » eiusdem Pontificis *Quum nos superiore anno* ed. an. MDCCXCVIII.

d-e). Confirmatio Const. Pii VI per Pium VII et Gregorium Pp. XVI.

f). Const. seu « Bulla » Pii IX *In hac sublimi* sub die XXIII mens. Aug. an. MDCCCLXXI.

g). Id. *Licet per apostolicas* sub die VIII mens. Sept. an. MDCCCLXXIV.

h). Id. *Consulturi* sub die X mens. Oct. an. MDCCCLXXVII.

i). Regulae Sacro Collegio Sede vacante servandae ab eodem Pontifice statutae atque italice exaratae sub die X mensis Ianuarii an. MDCCCLXXVIII.

Pii IX decreta secreti lege manserunt, nec nisi in I.ª Congregatione a Cardinalibus habita post eius mortem lecta sunt, prouti alias diximus; dum scribimus autem ignoramus prorsus an Leo Pp. XIII et ipse alia huiusmodi reliquerit.

FORFEX.

ANTE CONCLAVE

Ad Conclave parandum pro eligendo Pontifice Congregationes, sive Conventus Purpuratorum Patrum, iuxta ea quae Clemens Pp. XII constituit, decem habentur.

Congregatio prima fit in aedibus Vaticanis, in aula, cui « paramentorum » nomen, quia sacra illic indumenta Papae solemnia celebraturo parantur; reliquae in *secretario* basilicae Vaticanae (1). Huc Purpurati Patres accedunt, solemnia post sacra singula Novendialium per exiguam ianuam, quae chori dicitur, transeuntes. Anno MDCCCLXXVIII, post Pii IX mortem, quia sacrum Cardinalium collegium funebribus interfuit tribus tantummodò postremis diebus, coetus congregationesque generales suas in Consistorii aula maluit habere (2). Volenti Purpurato fas est accedere; integrum cuivis est abesse si malit; ceterum de summis Ecclesiae et S. Sedis rebus acturos abesse minime decet.


Generalibus huiusmodi conventibus, – peculiares nam aliae sunt, quas habent Cardinales « capita Ordinum » una cum Camerario praeside et antistite curiae, vices a secretis publicorum negotiorum fungente, circa administrandas Pontificiae Sedis res, – Eminentissimus Decanus praeest, aut, absente hoc, Subdecanus; quod quidem anno MDCCCLXXVIII accidit, Cardinali Decano Amat aegroto, et vices huius gerente Em̃o Subdecano Cardinali Di Pietro.

Tunc ita in res incubuere, et ita de singulis Purpurati viri decreverunt (3).

Prima Congregatio habita est die VIII mensis Februarii, in qua de loco, ubi Conclave habendum foret quaesitum, disputatumque est. E triginta et sex praesentibus Cardinalibus octo de habendo Romae, suffragiis datis, autumarunt, quatuor et viginti ut alibi, ubivis loci, at extra Italiam; tres se cum pluribus consensuros dixerunt; unus a responso abstinuit.

In altera, quae sequenti habita est die, eadem super re quaesita rursum fuere suffragia. Penitus mutata manifestatur opinio; nam duo ac triginta suffragia morandum, habendumque Romae decernunt Conclave; quinque – unus enim adventarat Purpuratus Pater – extra Italiam optabant. Suffragia secreto data sunt, albis et nigris tesserulis.

In tertia (X Februarii mensis die) apostolicae constitutiones circa eligendum Pontificem recitatae coram sunt, illae praesertim, quas Pius IX pro temporis necessitate paraverat; annulus piscatorius fractus est; eliguntur Antistites pro orationibus habendis « de Pontifice vita functo », ac « de novo eligendo Pontifice ». Munus illud, qui nunc Purpuratus Pater, Carolo Nocella creditum; hoc autem Francisco Mercurelli. Decernitur de epistola circa conditiones Conclavis regibus et praesidibus gentium mittenda: eaque Em̃o Cardinali Franchi conficienda traditur. Denique quae Martinucci, Caeremoniis Praefectus, proponit de Conclavi in Vaticano, comprobantur.



Aloisius Oreglia a S. Stephano
S. R. E. nunc Cardinalis Camerarius et Decanus.

In quarta (d. XI mens. Febr.) decernitur de sepeliendo vita functo Pontifice hora duodevigesima cum dimidio, XIII Febr. mens. die; de intrando adoriendoque Conclavi vespere XVIII diei; exhibentur sacro Collegio, nomine Em̃i Subdatarii, et Antistitis a secretis pro « brevibus » duae arculae clausae, in quibus scripta quaedam continentur.

In quinta et sexta (d. XII et XIII mens. Febr.) eliguntur pro Conclavi medici Camillus Antoninius et Iosephus Petaccius; chirurgus Alexander Ceccarelli; pharmacopola Frat. Othomarus Mayr; a confessionibus excipiendis excm̃us Franciscus Marinelli, Sacrista: scrutatores ad examen suffragiorum Em̃i Cardinales Randi et Nina (1).

In septima (d. XIV mens. Febr.) recitatur epistola ad reges et praesides, ac mittenda probatur.

In octava (d. XV mens. Febr.) solemniter excipiuntur legati Austriae, Hispaniae, Brasiliae, Bavariae, Belgii, Boliviae. Audiuntur, quae Subdecanus refert.

In nona (d. XVI mens. Febr.) alii excipiuntur pari solemnitate legati, Galliae, scilicet, et Lusitaniae; constituuntur retributiones pro iustis funebribus defuncti Pontificis; testamentariae tabulae Pii IX a Camerario Em̃is Patribus ostenduntur; cubicula sorte inhabitanda Conclavis tempore cuique Em̃o dantur.

In decima (d. XVII mens. Februarii), advenientes suscipiuntur legati solemniter, qui e Costarica, e Monaco, e Nicaragua, e Peruvianis, e Cilensibus adsunt. Ultima decernuntur ad Conclave postero die adeundum.

ALPHA.

DE CONCLAVIS RITU
USQUE AD SUMMI PONTIFICIS ELECTIONEM.

(Ex *Caeremoniali* Gregorii Pp. XV ante Conclave singulis Cardinalibus distributo).

De Missa Spiritus Sancti in basilica S. Petri. — Exequiis defuncti Pontificis completis, et interim Conclavi opportuno praeparato, Cardinales in basilica Sancti Petri, vel alibi pro temporis, et loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacrii Collegii, vel, eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus, *Missa de Spiritu Sancto* celebratur, et in finem per aliquem Praelatum, aut alium virum doctum habetur oratio, in qua monentur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, Sanctae Romanae, et universalis Ecclesiae de Pastore sufficienti, et idoneo providere, omni qua possunt brevitate, et diligentia curent, ad Apostolicarum Constitutionum, et Sacrorum Conciliorum praescriptum.

De ingressu Conclavis. — Re divina peracta, Clericus caeremoniarum capit Crucem Papalem, et procedit, quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis cappis violaceis. Crucem praecedunt Familiares Cardinalium, et immediate cantores hymnum *Veni, Creator Spiritus*, cantantes; post Cardinales sequuntur Praelati, atque ita processionaliter procedentes, Conclave ingrediuntur, et cum ad cappellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud altare dicit orationem *Deus qui corda fidelium*; qua finita leguntur, et iurantur per Cardinales constitutiones de Romani Pontificis electione, et una cum eis constitutio novissima Gregorii XV. Deinde Cardinales post sermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negocium rite, et recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos iuxta Constitutionem Pii IV distributas, divertunt, et post prandium omnes rursus simul congregantur, et officiales Conclavis, et alii praestant Sacro Collegio iuramenta consueta.

De hora claudendi Conclave. — Cardinales autem ingressi Conclave non exeant, vespere reversuri, sed in ipso omnino permaneant; ipsumque Conclave, post ter iussu Cardinalis Decani personatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis,

(1) Hoc nomine doctissimus Cancellieri una cum antiquioribus appellat additas templo aedes, quarum complexus vulgo nunc *sacristia* nuncupatur.

(2) Hac etiam "sede vacante" post Leonis Pp. XIII obitum, in Consistorii aula Congregationes habitae sunt.

(3) Haec referimus, cum quae his diebus in Generalibus Congregationibus acta sint pleraque secreto maneant. Id scimus, ob reverendissimi Alexandri Volpini interitum, qui die IX mens. Iulii necopinato accidit, ut a secretis vices ageret in Congregatione I.ª adlectum esse excellentissimum episcopum Raphael Merry del Val.

(1) Pro Conclavi hodierno medici electi sunt Lapponius et Pelagallo; chirurgus Alexander Cagiati; pharmacopola Frat. Adeodatus Camurani; a confessionibus excipiendis, excellentissimo Pifferi, Sacrista, abnuente, r. d. Augustus Palmieri.

De complicatione schedulae. — Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae ut expeditius peragi a Card. valeat, poterit a Caeremoniariis Magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc, qui sequitur modum. Binae fient plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis, et signa cum fuerint scripta, maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum est ita complicetur, ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata schedula, quae hic exempli gratia ponitur, conspici potest:

EXEMPLUM SCHEDULAE COMPLICATAE.

NOMEN

Accedo Reverendiss. D. meo

.... (locus complicandi schedulam)

D. Card. Baronio.

SIGNA

Ceterum Magistri Caeremoniarum schedulas, non complicatas ut supra, sed explicatas, et cum cera rubra, in parvis circulis, ponent in discis, et Cardinales, postquam eas, ut supra scripserint, eo usque solum plicabunt, quo nomen, et signa eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum schedulas, ut infra dicetur, obsignaverint.

De obsignatione schedulae. — Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque Cardinali facienda erit in tergo schedularum cum sigillo ad hoc parato, in loco parvorum circulorum ubi cera fuerit posita. Porro sigillum non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, et ita simplex, ut facile notari possit, veluti, si in sigillo sculpantur, aut tres numeri, aut tres litterae, et numeri, vel una tantum imago. Et haec de antescrutinio sufficiant. Ceterum, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.

De scrutinio et eius actibus. Sequitur secunda actio, quae nomine scrutinii appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae; iuramenti praestatio; positio schedulae in calicem; schedularum mixtio; earum numeratio; scrutinii publicatio; schedularum in filum insertio; earum depositio seorsum.

De delatione schedulae in calicem, et iuramento. — Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit, et complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam deferet ad altare, penes quod stant Scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus, et patena coopertus, ibique genuflectens, aliquantulum orabit; deinde surgens alta, et intelligibili voce, iurabit in hanc formam, quae in tabella super altari posita descripta habetur: TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME IUDICATURUS EST, ME ELIGERE, QUEM SECUNDUM DEUM IUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRAESTABO. Post haec schedulam in patenam ponet, et patenam mittit in calicem, quo facto inclinabit se ad altare, et ad suum locum revertetur.

De impedimentis ob valetudinem. — Et haec servanda erunt, si Cardinalis ad altare pergere possit; nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in cappella sit, ultimus Scrutator discum cum schedulis ad eum deferet; ex quo Cardinalis infirmus unam accipiens, eum in loco suo secrete, ut supra dictum est, conficiet; deinde, praevio iuramento praedicto, schedulam obsignatam, et complicatam, eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad altare, et sine oratione, et iuramento in patenam ponet, et per eam in calicem mittit; quae omnia observanda erunt per ultimum Scrutatorem erga eos Cardinales, qui in cappella praesentes ob valitudinem ad altare pergere non poterunt.

De infirmis. — Si vero aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Card. Infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti, quam capsulam antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri Cardinales possint eam inanem, et vacuam conspicere, deinde claudent, et clavem ponent super altare. Deinde Infirmàrii cum capsula clausa, et cum parvo disco tot schedulas continentes, quot sunt infirmi Cardinales, ad unumquemque eorum accedent; et infirmi acceptas ex disco schedulas secrete scribent, obsignabunt, et complicabunt, et praevio iam dicto iuramento in capsulam per rimam mittent. Quod si infirmi scribere non possint, alii eorum arbitrio deligendi, praestito de secreto servando in manibus Infirmariorum iuramento, praedicta facient; atque hi advertere debent, quod non solum iuramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad cappellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas, palam numerabunt: et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias schedulas post Decanum conficere, et in calice ponere, deinde dum ceteri Cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere, ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proxime ante dictum est.

De mixtione schedularum. — Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum Scrutatorem, calice in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

De numeratione schedularum. — Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum Scrutatorem capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice; eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. — Quod si numerus schedularum, non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, idest secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.

De publicatione scrutinii. — Sextus actus est publicatio scrutinii, quae fit per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante altare positam. Fiet hoc modo: Primus Scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, et viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eandem tradet tertio, qui illam alta, et intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium: notabit autem iuxta nomen Card. ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione inveniant Scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus, et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur et notabuntur pro uno suffragio; si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana statuitur de illa schedula, in qua plures nominati sunt. Scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finita scrutinii publicatione, poterunt a Patribus iuxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigi, vel in separato folio notari, hoc modo: Reverendissimus D. Cardinalis A habet suffragia 20, et Reverendissimus D. Cardinalis B habet suffragia 15; et sic de aliis; quod fit ne Cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae iuxta nomina Cardinalium notarunt.

De schedularum in filo insertione. — Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae ut schedulae ipsae cautius conservari possint excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum Scrutatorem; inserendo schedulam unamquamque postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum *eligo*.

Octavus, et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum Scrutatorem, qui finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iunget, et schedulas omnes ita colligatas, in alium calicem vacuum, vel in mensa, seorsum ponet.

De postscrutinio, et eius actibus. — Sequitur tertia, et postrema actio, quae postscrutinium appellata fuit, cuius actus, si secuta sit electio per scrutinium, tres tantum sunt, videlicet: numeratio schedularum; recognitio suffragiorum; et schedularum combustio, de quibus inferius suis locis dicetur. Si vero per scrutinium non sit secuta electio, actus sunt septem, videlicet: accessus sigillorum, et signorum aperitio; eorum adnotatio; suffragiorum examen; suffragiorum scrutinii, vel scrutinii et accessus numeratio; eorum recognitio; et schedularum combustio.

De accessu. — Primus itaque actus est accessus, qui immediate post scrutinium, hoc est, post depositas seorsum scrutinii schedulas fiet, nisi forte in scrutinio fuerit creatus Papa; tunc enim nullus fieri debet accessus. In quo quidem accessu eadem omnia servanda sunt a

De scrutinio simplici, vel cum accessu. — Tertius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur per scrutinium, vel per scrutinium et accessum, cuius formae ritus secundum Gregorianam constitutionem, quae vult non solum scrutinium fieri secretum, sed etiam accessum, continet tres actiones; alteram, quae antescrutinium, alteram, quae scrutinium, et tertiam, quae postscrutinium appellari potest.

De antescrutinio. — Antescrutinii actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum scrutinii, et accessus; extractio scrutatorum, et deputatorum pro votis infirmorum per sortem; scriptio schedularum scrutinii; earum complicatio; et obsignatio.

Schedularum praeparatio ad Magistros Caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundum formam inferius describendam, accipient, tam pro scrutinio, quam pro accessu, et ponent in duobus discis vulgo *bacili* nuncupatis, quos in mensa ante altare collocabunt, ut inde possint Cardinales, cum opus fuerit, schedulas sumere.


De forma schedularum scrutinii. — Forma autem schedulae scrutinii quoad eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata; longitudo eius erit fere palmi, latitudo autem dimidii palmi; quo vero ad contenta in ea, in anteriori eius parte, quae brevitatis gratia facies nominari potest, tria continere debet; primo in superiori parte secundum eius latitudinem, duo haec verba: « Ego Card.... » cum tanta ad invicem distantia, ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius duos circulos parvos, ad loca sigillorum indicanda.

Secundo, in medio continere debet haec verba: « Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem... ».

Tertio in parte inferiori, alios duos parvos circulos ad loca sigillorum similiter demonstranda.

De forma schedularum accessus. — Forma vero schedulae accessus, eadem prorsus est, quae scrutinii, nisi quod in medio eius, loco verborum: « Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum D. meum Card.... » ponuntur haec verba: « Accedo Reverendissimo D. meo D. Cardinali... ». Verum facilius, quae dicta sunt, percipiuntur ex infrascriptis figuris, et exemplis:

EXEMPLUM FACIEI
SCHEDULAE SCRUTINII.




EXEMPLUM FACIEI
SCHEDULAE ACCESSUS.



In exteriori autem parte schedularum tam scrutinii, quam accessus, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressorès adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupant, quorum primus circa sui medium continet hoc verbum: « Nomen » impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum: « Signa », similiter impressum, ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen, nomina, et signa eligentium conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infra positam figuram tergi schedularum scrutinii, et accessus:


EXEMPLUM TERGI
SCHEDULARUM SCRUTINII, ET ACCESSUS.




De Scrutatoribus, et Infirmariis. — Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum, et Deputatorum pro votis infirmorum, quae extractio antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedae, vel, si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales praesentes in Conclavi, cum eorum nominibus; deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo Scrutatores tres, et postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari possunt, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione Scrutatorum, et Infirmariorum, ac etiam Recognitorum, de quibus suo loco dicetur, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti, loco illorum extrahantur. Peracta vero extractione, schedulae, seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas iterum coniiciantur.

Quomodo in schedula scribatur nomen eligentis, et electi. – Tertius actus antescrutinii est schedularum scrutinii scriptio, quae fiet hoc modo. Ad duas, vel plures parvas mensas, quae erunt cum atramento, et calamis paratae in loco cappellae apto, ut qui scribunt conspici possint, quid vero scribitur, non possit, accedent Cardinales per ordinem, incipiendo a Decano, et ibi sedentes in scabellis paratis schedulam quisque suam acceptam prius ex disco, scribet hoc modo. Primo in prima parte in spatio inter verba: « Ego Card.... » scribet proprium nomen; deinde in secunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest alterato, ut manus scribentis cognosci non possit; et caveat, ne plures in schedula scribat; quia suffragium iuxta Gregorianam constitutionem esset nullum. In tertia vero parte signa, hoc est numerum aliquem, et dictum aliquod scripturae, seu verbum, aut aliquid huiusmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis subiecto, videre est:

EXEMPLA SCHEDULAE SCRIPTAE.





fessus fuisset: « Tu es Christus Filius Dei vivi », ab ipso Deo audivit nomen suum immutari illis verbis: « Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam ». Ecce Pontificis electio! ecce nominis immutatio! Nec ex Apostolis in Evangelio legimus quemquam pristino Simonis nomine eum postea indicasse; quinimo et ipse Iesus semper novo isto nomine legitur eum appellasse: « Rogavi, Petre, pro te, ut non deficiat Fides tua ». Quapropter Sergii aetate credo usum hunc fuisse ritu constitutum et lege, qui antea de more tantum atque ex traditione tenebatur. Hinc Pontifex, etsi privatis interdum ad amicos et familiares in litteris nomine suae infantiae, quod in baptismate suscepit, et uti possit, et vel utatur, numquam tamen illud in solemnibus ministerii sui, in decretis, in « bullis », in constitutionibus, in « brevibus » asserit, sed continenter nomen praefert, quod sibi, electus Pontifex Maximus, olim adscivit.

Tum ubi electus nomen, quo sit appellandus, expresserit, et singulorum, quae ad rem sunt, a primo Caeremoniarum Magistro publicis tabulis confectis, duo maiores natu Cardinales Diaconi medium inter se suscipiunt electum ipsum, et post altare sacelli adducunt, ibique Papalibus indumentis vestiunt iam ante paratis, nempe rubris calceamentis aurea cruce acu pictis, candida toga, palliolo supparo rubro, pileolo aures tegente. Vestes autem triplices paratae sunt, ut in promptu aptae sint staturae cuiusvis, ideoque proceris, mediis et exiguis conveniant.

Rediens indutus hisce Pontifex ad altare, vix in conspectu Purpuratorum Patrum est, his primum benedicit, et Pontificia in sella sedens singulos primum adoraturos accipit quo sunt ordine distributi; quisque enim coram genuflectit, pedem deosculaturus dexterum dextramque manum, indeque assurgens utrasque genas osculatur sedentis; « pacis osculum » huic ritui est nomen. Quo absoluto, Cardinalis Camerarius annulum piscatoris novum tradit, quem accipiens Pontifex conclavistae sibi a secretis credit, ut ibi stemmata sua caelata sint. Tunc primus ex Cardinalibus Diaconis, facultate abeundi postulata a Pontifice, cruce praeeunte et Caeremoniarum Magistro comitante, procedit ad basilicae, sive ad conclavis pergulam, et magna voce populo exspectanti ista nunciat ritualibus verbis: *Annuncio vobis gaudium magnum; habemus Papam Eminentissimum et Reverendissimum Dominum N. N., qui sibi nomen imposuit N. N.*

Conclave panditur; brevi post, si mane electio contigerit; sequenti vero mane, si vespertina fuerit electio. In Xystinum sacellum tunc adducitur Pontifex rubro amictus pluviali et aurea mitra, ibique super altare sedit, accedentibus Cardinalibus adoraturis, quo more antea sedentem ad altare adoraverant.

Absoluta altera adoratione hac, gestatoria compositus in sella, antecedentem crucem praeferente uno ex Auditoribus S. Rotae, sequentibus Cardinalibus, ad basilicam Vaticanam defertur, dum, ipso intrante, cantores antiphonam concinunt: « Ecce Sacerdos Magnus ». In templo SSmum Eucharistiae Sacramentum adorat, et postea adducitur ad altare medium, quod « Confessionis » nuncupatur, ibique Purpurati Patres, uti semel et iterum, tertio super aram illam maximam adorant sedentem. Hanc post adorationem Cardinalis Decanus: « Te Deum laudamus » hymnum praecinit, reliqua exsultantis hymni musicis ad finem usque sequentibus. Interdum vero populus vocibus musicorum voces miscuit suas, morae impatiens et exsultationem compescendi nescius; et auratos templi fornices ingens quatiebat populare alleluia. Hymno dicto, Cardinalis Decanus preces ex ritu recitat, quibus peractis, assurgens Pontifex benedicit adstanti populo, et ad interiora Vaticanae suae habitationis revertitur.

Hodiernis diebus, temporum necessitate prementium, in Vaticanam basilicam non descenditur, et illa tertia adoratio a Cardinalibus praebetur, vespere, vel sequenti die in Xystino sacello. Benedictionem Pontifex populo impertitur post primam adorationem ex fenestra media aulae, cui a Canonizationibus, seu Sanctificationibus, nomen; ad hoc muneris enim ab anno MDCCCLXX adhibita est, quum Canonizationum solemnia non in basilica peragere, sed alibi opportunum est indicatum. Quantum est basilicae atrium, seu porticus, tanta haec aula patet. Fenestrarum series laeva in plateam templi prospicit, dextera in basilicam.

H. P.

ANNALES.

Ex aedibus Vaticanis.

Arx Vaticana, a mense iam, mentes et animos omnium proculdubio gentium in se convertit, sibi rursus devinxit. Ibi enim Pontifex summus, qui ob regni et vitae diuturnitatem fere immortalis videbatur, supremum naturae debitum reddebat, inde nuntius exspectabatur, qui Christicolas omnes faceret certiorem Romanorum Pontificum seriem numquam intermitti et Petri locum brevi rursus esse occupatum. Tot igitur tantaque populorum studia hodie commemorem? Voluntatem unam, sollicitudines, curas, spem regeram? Faciat qui possit; mihi tantum memorabilem eventum indicasse sufficiat.

Sed tamen munus quod assumpsi exigit, ut litteris heic apponam quae praecipua in aedibus Vaticanis a Leonis XIII obitu hucusque sint peracta; brevibus quidem notis, cum alias quae ab interitu summi Pontificis ad novi electionem fieri soleant fuse in nostris paginis iam sint enarrata. Recognitio itaque, quam dicunt, pontificii cadaveris habita est die XXI mens. Iulii hora IX antem. a Card. Camerario, qui deinde, Purpuratorum Patrum fide recepta, primam cum iis Congregationem celebravit in Consistorii aula, ut iusiurandum a singulis emitteretur de munere fideliter adimplendo ac de secreto religiose servando circa ea quae sede vacante agerentur, utque de Ecclesiae rebus instantibus provideretur, Sacrique Consistorii a secretis vir eligeretur. Concilia haec Cardinalium mane singulis diebus convocata sunt usque ad diem XXXI inclusive: id memoria dignum prae ceteris quod locum habuit die XXVI; secus enim ac sede vacante post Pium Pp. IX actum est, a RR. Patribus excepti una sunt omnes exterarum gentium legati, quorum orationi a Lusitaniae legato, omnium seniori, recitatae, Camerarius liberaliter atque diserte respondit.

Eadem die XXI Iulii circa quintam post meridiem horam Lapponius, Pontificis Archiater, et cum eo Vaticanarum aedium medici, defuncti pontificis corpus balsamo condierunt, extractis praecordiis, quae sub mediam noctem in templum SS. Vincentii et Anastasii de Urbe delata sunt, cum contra pontificiae exsuviae in throni aulam translatae, a nobilibus custodibus, ab intimis cubiculariis, et ecclesiasticis et laicis, atque a Vaticanae basilicae poenitentiariis asservabantur, ut eas romani optimates, patricii, civitatum legati, pontificiae domui addicti pie ac devote inviserent.

Sub vespere diei XXII pontificalibus rubri coloris ornamentis indutae in Vaticanam basilicam per Clementinam aulam, pontificias scalas, peristylium primum, aulas ducalem et regiam, regiasque scalas deductae sunt, sequentibus Cardinalibus, episcopis, aulicis omnibus, multaque hominum multitudine ex catholicis in Urbe societatibus delectorum. Ad basilicae porticum Vaticanum seminarium et Clerus sacrum corpus excepere, novaque pompa instructa, in mediam basilicam est delatum, indeque, ab exmo viro Iosepho Ceppetelli, in Urbe Vicarii vices gerente, absolutionis ritu expleto, ad sacellum SSmi Sacramenti, ubi populo innumero accurrenti expositum mansit usque ad meridiem diei XXV, dum iusta funebria a Clero Vaticano persolventur in opposito Chori sacello. Hic septem post horas in feretro compositum, hinc in proximo sepulcro, quod Pontificibus singulis ad tempus commune est, nulla mora humatum.

Die XXVIII, XXIX ac XXX in Xystino sacello Purpurati patres sollemnia parentarunt; insequenti die, audita in Paulino sacello Missa de Spiritu Sancto, ad quintam post meridiem horam in Conclave recesserunt. Die IV mens. Augusti hora XI ante meridiem Iosephus Sarto, Venetiarum patriarcha, Pontifex Summus renuntiatus est, qui nomen assumpsit Pium X.

PROPOPLICOLA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis* Phil. Cuggiani.

Cardinalibus, quae dicta sunt servari debere in scrutinio peragendo tam in schedularum scriptione, obsignatione, complicatione, delatione, et positione in calice, quam in earum numeratione, publicatione, notatione suffragiorum, et insertione in filum, ac depositione seorsum, exceptis tamen infrascriptis.

Differentia schedularum accessus et scrutinii. — Primo, quod Cardinales, schedulas pro accessu, sumere debent ex disco schedularum accessus; secundo, in schedularum accessus scriptione, si Cardinalis nomini velit accedere, debet in media schedulae parte, loco nominis Cardinalis, qui scribendus esset, si ad eum fieret accessus, scribere: *Nemini*; schedula autem accessus scribi, et obsignari debet cum eisdem sigillis, et signis schedulae scrutinii sub poena nullitatis suffragii ipsius accessus; tertio, quod non potest accessus fieri ad eum Cardinalem, qui in scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipsomet Cardinali fuit in scrutinio nominatus; quarto, quamvis in accessu non liceat plures nominare, sicut non licet in scrutinio plures eligere sub poena nullitatis suffragii, tam in accessu, quam in scrutinio, nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter a se nominatis in scrutinio, dummodo ei ab alio aliquod suffragium, non tamen nulliter, ut praefertur, in ipso scrutinio datum fuerit; quinto, quod in accessu non praestatur iuramentum, de quo supra, quia in scrutinio fuit iam praestitum per illa verba: ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRAESTABO. Sexto, denique, Infirmarii deferre debent ad infirmos schedulas accessus, et simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quae quisque Cardinalis, in scrutinio nominatus, obtinuerit.

De inspectione, aperitione et collatione, seu adnotatione schedularum. — Secundus, tertius et quartus actus postscrutinii sunt sigillorum, et signorum aperitio, eorum adnotatio, et suffragiorum examem, qui tunc solum locum habere possunt, quando secuta est electio per scrutinium, et accessum. Fieri autem debent hoc modo:

Primus Scrutator schedulas accessuum, quos obtinuit electus, in ea parte solum quae signa continet aperiet, et inspectis diligenter earum sigillis, et signis, apertas, ac in filo, ut erant insertas, tradet secundo Scrutatori, et secundus, eadem inspectione facta, porrigit tertio, qui alta, et intelligibili voce, sigilla, et signa praedictarum schedularum enunciabit, et annotabit in latere sinistro folii impressi, ad hunc effectum parati, sub verbis: « Sigilla et signa accessuum »; quam etiam adnotationem facient ceteri Cardinales, si voluerint, in simili folio impresso.

Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inspicientibus, pro accessuum praedictorum examine capiet schedulas scrutinii, et incipiens ab uno capite fili, in quo insertae sunt, sigillum primae eius schedulae quaeret in sigillis accessuum notatis, ut supra in folio impresso, et si illud in eo non invenerit, omissa prima scrutinii schedula, capiet secundam, eiusque sigillum similiter quaeret; quod si etiam non invenerit, capiet tertiam, et deinde sequentes singillatim, donec sigillum alicuius earum inveniat; eoque invento, scrutinii schedulam in ea parte, ubi signa sunt, aperiet; et si non invenerit signa huius schedulae concordare cum signis accessus, schedulam illam omittet, et aliam capiet, sicut paulo ante de schedulis non concordantibus in sigillo dictum est; si vero invenerit signa concordare, ostendet illa secundo, et tertio e Scrutatoribus, qui una cum ipsis, post diligens examen super identitate sigillorum et signorum ambarum schedularum, scrutinii scilicet, et accessus, inspiciet, an idem, vel diversi in utraque schedula sint nominati, et si idem nominatus sit, suffragium accessus nullum censebitur; si vero diversi nominati sint, suffragium accessus pro valido habebitur. Hoc casu tertius Scrutator sigillum et signa schedulae scrutinii, ac etiam nomen electi, qui in ea continetur, alta, et intelligibili voce enunciabit, et adnotabit in latere dextro praedicti folii impressi, sub verbis: « Sigilla, et signa scrutinii respondentia accessibus ». Notabit autem ea exadverso accessus concordantis in sigillo, et signis; quam adnotationem ceteri quoque Cardinales, si voluerint, in simili folio impresso facient.

Sed huiusmodi actus, qui explicatione difficiliores sunt, quam operatione, exemplo melius percipientur:

FOLII IMPRESSI, IN QUO ACCESSUS,
ET SCRUTINII SIGILLA,
AC SIGNA CONCORDANTIA ADNOTANTUR.

(Litterae alphabeti indicant Sigillum).

Sigilla, et Signa Accessuum.	*Sigilla, et Signa Scrutinii Accessibus respondentia.*	*Cardinales nominati in Scrutinio.*
ACD. 43. Deus.		
BRE. 32. Bonitas.	BRE. 32. Bonitas.	Card. S. Eusebii.
RGI. 50. Beatitudo.	RGI. 50. Beatitudo.	Card. S. Sisti.
NSP. 26. Gloria.		

Monitio ad Scrutatores. — Quod si fortasse in ista inquisitione contingat duas, vel plures schedulas scrutinii, reperiri cum eisdem sigillis, et singulis alicuius schedulae accessus, tunc si in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alius, primus Scrutator reliquis Scrutatoribus similiter inspicientibus, scrutinii schedulas huiusmodi, et schedulam accessus, in ea etiam parte, in qua est nomen eligentis, et accedentis, aperiet, ut constare possit secundum Gregorianam constitutionem de validitate, vel invaliditate accessus; si vero in aliqua huiusmodi schedularum scrutinii concordantium cum accessu non sit nominatus electus, debent eae schedulae omitti, et ad subsequentes procedendum erit.

De numeratione suffragiorum. — Quintus actus postscrutinii est numeratio suffragiorum, vel scrutinii solius, vel scrutinii et accessus, quae fiet per Scrutatores semper, sive secuta sit electio, sive non; et si quidem secuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio, vel scrutinio et accessu, non habetur Papa; si vero secuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc modo: Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, sive in scrutinio solo, sive in scrutinio et accessu simul, et si invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio, sive scrutinio et accessu; si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam, etiam in ea parte, in qua est nomen eligentis; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit sibi suffragium dedisse, eius electio ex dispositione Gregorianae constitutionis nulla erit ob defectum unius suffragii. Si denique plures invenerint duas tertias partes suffragiorum obtinuisse, vel etiam ultra duas tertias, tunc in suffragiorum paritate nullus erit electus; in paritate vero, ille est canonicus Papa, qui superat alium, etiam in uno suffragio.

De recognitione, et Recognitorum extractione. — Sextus actus postscrutinii est recognitio, quae per Recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet, inspiciendo tam schedulas scrutinii et accessus, quam suffragiorum adnotationes factas per Scrutatores, ut per eiusmodi recognitionem constare possit, an Scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint. Recognitores autem extrahentur sorte, ut Scrutatores, et Infirmarii, statim quidem post scrutinium, si secuta sit in eo electio; si vero non sit secuta, post scrutinium et accessum, cum scilicet Scrutatores suum impleverint munus per numerationem suffragiorum; et haec extractio fiet, sive secuta sit electio in scrutinio et accessu, sive non.

De combustione schedularum. — Septimus, et postremus actus postscrutinii, est combustio omnium schedularum, quae semper, et palam per Scrutatores fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit secuta, sive non.

Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a Cardinalibus in omnibus scrutiniis, sive fiant mane post Missam, sive vespere post hymnum *Veni, Creator Spiritus*.

Atque hi sunt ritus ex praescripto constitutionis Gregorii PP. XV in electione Romani Pontificis observandi.

POST CONCLAVE

ILLE, in quem, ex tripertito Cardinalium numero, duae partes eligendum consenserint, a Scrutatoribus annuntiatur electus, et Pontifex designatus. Mox Cardinalis Decanus accedens interrogat utrum Pontificiae dignitatis ponderi velit succedere, nec ne; irrita enim, si abnueret, esset electio. Ubi vero assensus sit, mox nomen indicat novum, quo inter Pontifices sit appellandus. Mos hic mutandi nominis videtur eruditissimis viris a Sergio IV (ann. MIX) initium cepisse; mihi, si fari liceat, hoc in ritu aliquid evangelicae narrationis apparet; quum enim Simon Barionae Iesu Christi Divinitatem con-